

IVSTI LIPSI
DIVA SICHEMIENSIS
sive
ASPRICOLLIS:

Nouacius BENEFICIA & ADMIRANDA.



A N T V E R P I A E,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

M. D C. V.

Cum Privilegiis Casareo & Regio.

Serenissimæ
ISABELLÆ,
CLARÆ, EVGENIÆ,

INFANTI

HISPANIARVM,

Principi & Dominæ nostræ.



IVAM VIRGINEM Si-
chemiensem ad te
DOMINA nostra ad-
fero: tuam illam, ani-
mo semper cultam,
corpore & oculis etiā
aditam atque usurpatam. Pietas tua
cui non innotuit? quam velut heredi-
tariam virtutem vindicas, ab ausis pro-

* 2 auisque

I
I L I P S I
D I V A V I R G O
A S P R I C O L L I S.

C A P V T I.

*Aliquid pro fide Miraculorum: & decorum huius
scriptionis.*



N, coronam hanc alteram ad te,
DIVA, adfero, è floribus tuis ple-
xam, è vicino horto tuo decer-
ptam. Et recenter decerptam: ut
etiam nunc sensus suauitate, ani-
mos admiratione afficiat atque
adflet. Vbi estis, qui paullò vetustiora eleuatis, aut
illuditis? ecce noua nouitia: ecce in oculis atque
auribus omnium nostrum gesta: ecce concursu,
plausu, fructu gentium celebrata. Quæ fides po-
test esse in rebus humanis, si hæc non est? Quam-
quam ista ipsa, attendite, fidem vetustioribus
ctiam illis, vel ab exemplo, struunt. Si enim nunc
facta, & videmus: cur nuper & olim abnuam
fuisse? Idem ille Deus est qui patrat, eadem illa
MATER-VIRGO, per quam patrat, & quam
honore hoc honestat, & attollit. Imprudens non

A dicam

REJECTIVNCVLA

SANNIONIS CVIVSDAM

B A T A V I.

VIT his diebus, Lector, nescio quis homo nebulo (ita est, & nugas meras & sordes loquitur, & id plebeia suâ lingua) homo, inquam, nebulo qui DIVAM & me peteret, & conuiciorum frue utrumque oneraret. Vidi, legi, risi, et si in morbo atque eo ancipiti: denique atra etiam bilis mea, credo, incaluit, & hac pauca apud te dicere vel fundere iussit, quāuis neglectim. Quid enim accurate in illum opus, quem ego infra iram meam existimo: iram? etiam tuires, & primis dentibus (ne inuidiosum sit) leo leporum hunc frangam. Miser, quid facis? *χύτεα. Επίτεα, ut verbum est, εσυμφωνει: comparem aliquem tuum quare. Et quid tamen ait noster balathro? Primùm, me è Batauis discessisse. Hoc fateor, & volui, & addam debui: cur liberum mihi non esset? Aluerunt te, inquis. Quid? superuacuum, aut terra onus? Ego professionem meam tredecim annorum illis imputo, & cum humanitate litteras, & scientiam cum prudentiam, sparsa in eorum iuuentutem. Adeste, quām multi è disciplinâ meâ etiamnunc fatemini? millem, & exterros omitto. Atqui dolo abij, & perfidiam miscui. De dolo agnosco, sed bono:

*Olla &
petra non
benè con-
graunt.

PRIVILEGIUM CÆSAREVM.

V DOLPHVS SECUNDVS diuina faveiente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae & Wirtembergae, &c. Comes Tirolis, &c. Nostro & Sacri Imperij fideli dilecto IUSTO LIPSI O gratiam nostram Cæfarcam. Postquam interalia, quæ Deus immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illustria in primis illa & quasi diuina sunt, quæ in litteris liberalibusque disciplinis consistunt, quibus scilicet homines non tantum ab animalibus ceteris rationis expertibus, sed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita distinguuntur, ut tanquam Diuini quidam splendescere in terris videantur: rem sane præclaram leque dignam illi præstant, qui diligentem iis ipsis in litteris ac disciplinis operam ponunt; præclarissimam vero & Reipub. utilissimam, qui eas ita excolunt, ut aliorum menti docendo, scribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiae tenebris quasi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis nostræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, concessu quoque sumus, in primis pertinere existimamus. Cum itaque ab iis, quorum nobis spectata fides, quique iudicare de Litteris possint, acceperimus, insignes te animi ingenuique tui dotes tibi à natura insitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac disciplinarum studiis excoluisse atque exornasse, ut olim iuuenilibus adhuc annis præclara florescentis iniusteque vulgaris eruditionis specimen præbueris, dum obscura in antiquis scriptoribus loca, quæ quædam tanquam lustra erant, illustrasti, quæque in iis iniuria temporum depravata & corrupta fuerunt, restituisti, dum vetusta Latinæ antiquitatis rudera in nouam subinde structuram singulan artificio eleganter conuertisti: ad exquisitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoque viros opinionem excitarit, peruenisse, eamque variis abs te libris acti & graui cum iudicio scriptis atque in lucem editis ostendisse, ut in eo quod tam feliciter tractes scriptionis genere paucos tibi pares hodie reperi te sit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. utilia scribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoriibus scripta fuerunt, à mendis purgare, & lectissimos quoque ex Musarum hortis, in quibus assidue versantis, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrescunt, & eorum peccus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam haec abs te ornamenta conferuntur, causa, Cæsareo te nostro elogio decorandum, & quamuis per te satis ipse animatus sis, animandum magis patrocinioque nostro defendendum pro benigna nostra in te suscipieremus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc nostro priuilegioque te & Typographum tuum aduersus quorumcumque fraudem, qui lucri causa, quod fieri solet, eadem excludere aut typis imitari forte velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate nostra Cæsarea decernimus,

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.

M. D C. V.

